



266

κ 360<sup>a</sup>

NOVAM MACHINAM  
HYDRAULICAM

DESCRIBIT

E T

AD PRAELECTIONES SVAS AESTIVAS

I N V I T A T

CAROLVS CHRISTIANVS GVILIELMVS  
BVNSEN

P R O F . P V B L . E X T R .



---

HELMSTADII  
EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO  
VIDVAE SCHNORRIAE.

МАИИЦА МАУОИ  
ИИАИЛГАИ

ДЗСОРИДИ

ТИ

САЛАБЕСЧИОНЕ ЗАВА ДЕЗЛЯВА


ТАТИЧИР

СКОРОЕ ЧРИСТАНОВОЕ ЕУЛИИМ

БУДЬ

ЛУЧШАЯ ПОДАРКОВА

ПЛАТЫН  
СОИМСКАЯ ОРИГИНАЛЬНАЯ  
БАЛЕССИНОВАЯ БАХИЯ



### §. I.

**I**nter insignia et splendida monumeta, quibus Roma, florentibus rebus suis, condecorabatur, praeferunt aquaeductus conspiciebantur.

In his magnificentia populi Romani non minus apparebat, quam in aliis operibus, quorum ruinae post tam multa saecula admirationem atque stuporem omnibus, qui eas contemplantur, iniiciunt. His ductibus non solum aquae fontium, qui prope urbem erant, sed etiam aliorum, qui multa millia passuum ab urbe aberant, (a) Roman traducebantur. Qui inter capita fontium et moenia medii intererant montes, si aquae per eorum latera obliquae duci

A 2

non

(a) Ductus Anio habebat longitudinem passuum XLII. millium, Martia LX. millium DCCX et Semis. Frontinus de aquae ductibus.

non poterant, actis sub terra cuniculis perfodiebantur. In vallibus et submissis regionibus substructiones et opera arcuata, quorum nonnulla altiora pedibus centum erant, aedificabantur, et ita aquae ad fastigium libratae inenarrabili impendio et operarum multitudine Romam traducebantur. Ad moenia perductae in castella seu receptacula influerant, ex quibus per fistulas subterraneas non tantum in publicos fontes, lacus, balnea et aquas salientes, sed etiam in domos privatorum erogabantur. Fontes illi publici et aquae salientes praecipua ornamenta urbis erant, quippe qui marmoreis aeneisque statuis egregie condecorati erant. Marcus enim Agrippa, qui septem amnes corrivatos Romanam traduxit, suis operibus aquaticis, quae in aedilitate post consulatum extruxerat, trecenta signa marmorea, aut aenea, et columnas ex marmore quadringentas imposuit. Cura horum operum, quae Frontinus Pyramidibus caeterisque Graecorum celebratis operibus comparare non dubitat, a principibus semper Reipublicae viris gerebatur. Primi temporibus ipsis Consulibus demandata fuit, postea Aedilibus concessa, et sub imperatoribus curatores constituti, quibus hoc negotium datum erat. Frontinus, qui sub Imperatore Nerva curator aquaeductuum fuit, rationes impensarum collegit, quae quotannis operibus aquaticis impendebantur. Ex eius computo patet, has impensis ad summam CCL millium sestertium; quae no-

nôstra moneta duo fere millia milium imperialium efficiunt, pervenisse. Ingens profecto impendit, sed nemini incredibile, qui moles operum considerat. Quatuordecim enim Romae erant aquaeductus, teste Procopio, ex latere cocto, ea latitudine atque profunditate, ut vir equester cum equo per eos evadere possit. *De la Mare*, in libro suo de Politia Romanorum, ex Frontini commentariis aquae copiam computauit, quae aquaeductibus urbi adducebatur. Ex eo computo patet, 5000,000 amphorarum (ochshofft, gallice muids) quotidie Romanam pervenisse.

### §. II.

Mirum forsitan videri posset, Romanos, qui tantis impensis et operibus aquas ex remotis regionibus Romam traduxerunt, aquas Tiberis, per moenia eorum fluentis, ad varios usus urbis non adhibuisse. Sed artificia, quibus flumina coguntur aquas suas in altum elevare, iis temporibus nondum cognita erant. Praecipuae eorum machinae hydraulicae tympanum erant et cochlea, ab inventore Archimedea dicta, quae aquas ad altitudinem satis magnam elevare non sufficiunt.

Quare si quis mechanicus, temporibus Imperatoris Augusti, qui maximos sumptus operibus aquaticis impedit, Romae eiusmodi machinam exstruere potuisset, qualis Parisiis ad aquas fluminis Sequanae in altum cogendas conspicitur, non dubitan-

bitandum est, quin maximos honores et insignia praemia fuerit consequutus. Sed harum machinarum inventio recentiorum temporum mechanicis debetur, et si in nulla alia scientia, in mechanicis certe artibus veteres a recentioribus longe superantur.

### §. III.

Quamquam vero nemo negabit, inventionem utilium machinarum, quibus improbus labor ab hominibus tollitur et elementis imponitur, maximo honori auctoribus esse debere; meritis tamen laudibus inventores utilissimarum machinarum, partim iniuria temporum, partim negligentia scriptorum superiorum aetatum, qui nihil boni ex officina provenire posse crediderunt, defraudati sunt. Inventor utilissimae inter machinas, molaes scilicet aquatiae, omnino latet. Circa tempora Augusti inventa esse videtur, quod ex Vitruvio patet, qui libr. X. Cap. X. tympanum ad molendam farinam in flumine exstruetum describit. Sed ea descriptio satis commonstrat, hanc machinam illo tempore ab ea perfectione, quam in hodiernis molis conspicimus, quamque sexto demum saeculo, ut fertur, assequuta est, longe adhuc absuisse. De inventore molarum alatarum, quae aeris impetu moventur, nihil compertum est. Constat eas in Asia esse inventas, ubi penuria fluminum incolas, horum adminiculo destitutos, ad aliud elementum confugere coegerit. Ex Asia duodecimo saeculo in Europam translatae sunt, et hodie non solum

solum ad frumenta conterenda, sed etiam, ubi flumina defunt, ad elevandas aquas adhibentur. *Machina hydraulica Marlyana*, quae aquas fluminis Sequanæ ad usus domus regiae et ad fontes salientes, quibus horti regii ornati sunt, extollit, inter mirabilia mundi refertur. In hoc opere quid primum miretur quisque, inventorem, an inventum, artificem, qui hoc excogitare, an auctorem, qui suscipere ausus est? Sed magnis Ludovici XIV susceptis haec machina adnumeratur, et *Rannequin*, natione Batavus, qui eam excogitavit, vix adhuc in scriptis mathematicorum, qui huius machinae mentionem faciunt, nominatur. (a)

#### §. IV.

Caussa, cur tam utilium artificiorum inventores meritis laudibus careant, alienatio animorum esse videtur, quae semper inter eruditos et artifices intercessit. Eruditi scilicet artifices et eorum opera, tamquam vilia et magno ingenio indigna, s'preverunt; contra artistae theorias Mathematicorum, tamquam iucundas magis, quam utilles et necessarias subtilitates, neglexerunt. Quod quidem mutuum odium non tantum memoriae artificum, sed ipsis quoque artibus, non mediocriter nocuit, quippe eo societas, quae inter artes et scientias, haud

(a) Haec machina intra diem noctemque CLXXII millia pedum cubicorum aquae ad altitudinem quingentorum pedum extollit.

haud secus, quam inter homines esse deberet, quo scientiae utiliores, artes redderentur perfectiores, diu fuit impedita.

### §. V.

Vt hanc societatem inter artes et scientias conciliarent, nostra aetate nonnulli auctores, inter quos Belidorius non sine praefatione laudis et honoris appellandus est, bono cum successu tentaverunt, quippe in scriptis suis de re machinali praecipuas machinas, secundum omnes suas partes, clare descripsérunt, earum effectus et resistentiam, quae in machinis frictione oritur, data opera computaverunt, et omni studio annisi sunt, ut libros suos non eruditis solum, sed praecepue artificibus, utilles redderent. Et quamvis doctrina theoretica, quae in his scriptis traditur, ingenium ad nova inventa, quod sola natura largitur, addere artifici nequeat; attamen illum, qui ea bene imbutus est, aptum reddit, ut de machinae, quam suscipit, effetu, a priori certum iudicium ferre possit, neque committat aliquid, quod mechanicis practicis, nulla theoretica doctrina ornatis, saepe accidit, ut magnis factis impensis dicendum sit: non putaram.

### §. VI.

Quamquam vero tanta multitudine machinarum, hoc et praeterito saeculo inventarum, in Belidorii libro, *de Architectura hydraulic*a, descripta sit, ut novis huius generis machinis opus esse non vide-

videatur; audeo tamen, machinam ad elevandam aquam a me inventam, et simplicitate sua, si nulla alia re, commendabilem, Mathematicorum iudicio subiicere.

ABC est cista lignea, cuius parietes bitumine obturati sunt, ut aquam contineat. In hac ineft parallelepipedum ligneum G, plumbo vel lapidibus ita oneratum, ut ab aqua vix extolli possit. Ex receptaculo DEF, per tubulum modicum, aqua in cistam ABC influit, et parallelepipedum extollit. Ascendente illo situlus H gravitate sua descendit, et ex receptaculo EF aquam haurit. Elato usque ad summitem cistae BC parallelepipedo, filum ferreum LK ianuam aperit, per quam aqua citissime elabitur. Descendens tunc parallelepipedum, catena G axi circumvoluta eum commovet, quo catena, qua situlus pendet, rotulae circumvolvitur et ille ascendere cogitur, eoque usque ad N elato, unco N aquam in receptaculum M effundere cogitur. Delapsio usque ad fundum arcae parallelepipedo, iugum librae B, filo ferreo parallelepipedo applicatum, lamellam chalybeam liberat, quae tunc ianuam impetu elateris sui claudit. Eaque clausa denuo parallelepipedum aqua influente extollitur, et descendens sua ipsis gravitate situlus catenam parallelepipedo applicatam axi circumducit, simulque filum ferreum mediante veete inflexo F lamellam D denuo tendit. Ut ianua eo arctius aquae effluxum intercludat, corio super inducenda est.

B

Haec

Haec est ratio machinalis huius hydraulae simplicissimae, qua aqua ad modicam altitudinem comode extollitur, quaque minimo impendio exstru potest, quippe aedificatio eius ultra viginti vel trinta imperiales ascendere nequit.

### §. VII.

Quo vero eo melius de huius machinae operatione dijudicandum sit, sumamus exempli loco aquae lapsum 10 pedum, sit gravitas parallelepipedii = 5 centenariorum diameter axis ad diametrum rotae 1 : 3. Gravitas fistuli cum catena 30 librarum. Tubulus, per quem aqua in cistam influit, ita comparatus, ut eam intra decem minuta prima impletat: et foramen, quod ad fundum cistae ianua clauditur, eius magnitudinis, ut aqua per illud in quinque minutis effluat, ita ut intra quartam horae partem parallelepipedum semel ascendet et descendat: Erit tunc altitudo, ad quam fistulus elevatur, triginta pedum, et copia aquae, quae intra diem noctemque in receptaculum superius extollitur, nonaginta sex fere centenariorum, aut si fistulum utensilem aquae quinquaginta libras capere ponimus, in statuto temporis spatio centum et nonaginta duo fistuli in sublime tolluntur. Haec quidem non aequae magna aquae copia est, si multis inservire debeat, sed ad privatos usus vel maximae rei familiaris sufficit.

### §. VIII.

§. VIII.

Facile vero quisque perspicit, altitudinem, ad quam aqua elevatur, maiorem evadere, aucta diametro rotae. Si exempli loco aqua hac machina ad altitudinem quadraginta pedum elevanda esset: caeteris ut supra potissimum diameter rotae ad axis diametrum in ratione 4 : 1 facienda esset.

Copia autem aquae, quae in altum cogitur, augetur aucta gravitate parallelepipedi, aut denique aperturis, per quas aqua in cistam influit et effluit, amplificatis, ita ut parallelepipedum celerius ascendet et descendat.

Ne situlus intra ascendendum vacillare possit, funiculus a receptaculo B C in altum extendendus est, et annulo ad medium situli adfixo perducendus, ita tamen, ut annulus ille mobilis sit, ne situlum impedit, quo minus aquam in superius castellum effundere possit.

§. IX.

Liceat mihi machinam hanc cum alia, quae in Gallia a duobus mechanicis, arte et ingenio polentibus *Denysard* et *de la Dneille* inventa et non procul Parisiis exstructa est, comparare. Haec ab Academia scientiarum cum laude approbata, et a Belidorio in *Architectura hydraulica* descripta, et egregiis huius saeculi inventis adnumerata est.

Praecipuus mechanismus huius machinae, quae ex multis partibus composita est, quamque, deficientibus figuris clare describere nequeo, duobus

bus tubis constat, per quorum unum aqua descendens in altero eam ascendere cogit. Ab inventoriis quae haud procul Parisiis aedificata est machina, intra diem noctemque sex amphoras ( gallice muids ) aquae fontis, novem pedum librationem habentis, triginta duo pedes in altum extollit. A me descriptam machinam qui considerare velit, facile videbit, eam idem praestare posse. Eandem vero vel quinquagies minoribus impensis exstruendam esse, nemo dubitat, qui machinas has comparare voluerit.

Sed ne in invento meo nimis mihi complacuisse videar, hic subsisto, VOS QVE, AUDITORES GENEROSISSIMI ET PRAENOBILISSIMI, ad praelectio-nes meas, per aestivum semestre habendas, officiosissime invito. Series harum lectionum haec erit.

*Publice* tradam Trigonometriam planam.


*Privatum* hora XI-XII. Mathesin puram ex-  
plicabo praeeunte SEGNERO.


Hora X-XI. Analysis finitorum docebo.


Initium harum lectionum erit dies XIV. Maii.

P. P. in Academia Iulia Carolina die XI Maii

A. M D C C L X X I I .







A. A. Brückl. Braunspigat.





94A7340

ULB Halle  
001 847 031




3

56

vD n8

1017





NOVAM MACHINAM  
HYDRAVLICAM

DESCRIBIT

E T

AD PRAELECTIONES SVAS AESTIVAS

I N V I T A T

CAROLVS CHRISTIANVS GVILIELMVS  
BVNSEN

PROF. PVBL. EXTR.



HELMSTADII  
EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO  
VIDVAE SCHNORRIAE.

14

01 01 01